

magis heic observanda, ne pergravissimas spirituales ruinas sibi gregique dominico, in] tempore obventuras, imprudentissime comparet. Nominatim Italis in regionibus Deputatorum electiones conditionate tantum licitas esse, Pastores meminerint¹, de quo peculiari in casu sententiam ferre [S. Sedis toties quoties permittente] Episcopi est, cui, heic quoque, in omnibus ac adamussim parere quam maxime necessarium. Coeterorum, igitur omnium suggestionibus, haud parendum, nec nimis facile fides praestanda... Nil, enim, politica arte, mendacius ac infidum magis!

Articulus II.

DE BONI PASTORIS CUM AEQUALIBUS ECCLESIASTICIS RELATIONIBUS.

§ I. — Quae Pastoris cum comparrocis conterminis, et clero diocesano relationes esse possint.

SUMMAE RERUM. — 194. Animadversiones praeviae — 195. Quaedam ad rem peculiares industriae recoluntur. — 196. Quae erga clerum dioecesanum omnem a bono Pastore servanda sint.

194. — Quamvis hae Boni Pastoris relationes, sua ex natura, in comperto sint, attamen ad maiorem ipsi afferendam utilitatem, peculiaria quaedam innuere praestabit, a quibus tum caritatis tutamen, tum christiani gregis aedificatio quam maxime pendent.

195. — Quoad Pastoris cum conterminis Parochis fovendas relationes attinet, quantum intersit ut, opportuna ratione, habeantur, in comperto est, quod ut feratur, in iis ineundis ac magis magisque firmandis, sequentes normae prae oculis habeantur:

a) Servetur concordia, quae non modo in amicitiae ac fraternae caritatis officiis, sed etiam, et quam maxime, per sententiarum ac pastoralis praxis unitatem resplendet. *Quare omnes Summi sacerdotis ministros in Domino deprecamur ut sese, caritate inviolata mutuaque dilectione invicem prosequantur, unamque tum mente, tum corde familiam constituent, memores verborum Apostoli: Caritate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem praevenientes² Sedulo devitent invidios illos sermones quibus, praesertim coram laicis, fama et existimatio fratrum, eiusdem ministerii consortium laeditur³. Ad hanc vero concor-*

¹ SS. P. N. Pius PP. X Encycl. *Il fermo roposito*, 12 jun 1905.

² *Roman.* X, 20.

³ Concil. Plen. Quebec, I, n. 217.

diam tutandam necesse omnino est ut in alterius paroeciae rebus nullo modo sese immisceat Pastor; quod non tantum operibus, sed praesertim et lingua devitandum. Conterminorum, igitur, Parochorum agendi modum nec cum suis, nec cum alienis fidelibus ullo modo ullaque ratione carpat, sed quae bona sunt laudet ac imitetur, quae vero minus recta videantur excuset ac, caritatis amiculo, velet.

b) In conterminos Parochos invidia ne abripi se sinat Pastor, quae, ut plurimum, ex praebendae abundantia, ex suorum fidelium pro sacris functionibus ac confessionibus ad ipsos commeaione, in actionis popularis activitate et ita porro, enasci consuevit, et tanta caritati aedificationique impedimenta [interdum praevalida] parat.

c) In quantum, absque proprii gregis detrimento, fieri potest, in sacris functionibus peragendis libenter, sollicite ad invicem ac gratis opem ferant.

d) Consuetudinem ad invicem foveant Pastores, et si contermini Parochi, interdum, ad pastoralis regiminis simul conferenda negocia, conveniant, peroptimum erit. Attamen ab his coeterisque conventibus laici omnes ac praesertim ancillae absint omnino, ac non tantum de rebus temporalibus, sed et praesertim, de spiritualibus [utpote, de recta paroeciae regendae ratione, de abusibus tollendis, de piis introducendis exercitiis, de reliquis ad fidelium suorum salutem spectantibus] sermones instituere oportet, quo tantum genuinae animarum saluti apte consulitur.

e) Conferentiae inter eiusdem plebanatus clericos [ad moralium, liturgicorum ac theologiae dogmaticae casuum solutionem] ab Episcopo statuae, ad hoc facilem occasionem praestabunt, et ex his necesse est ut omnes genuinum capessant adiumentum. Non, igitur, perfunctorie, sed sollerter, sub Vicarii Foranei praesidentia habendae, qui de eis Ordinarium certiore facere iubetur. — In his vero omnibus adiunctis, indulgere epulis, conferentias in detractionum academias [in quibus Ordinarii confratrumque acta, personae et, forsan, intentiones carpuntur] immutare, clamoribus, iocis ac cantilenis indulgere, loquacitati adeo inservire ut et sacramentalis sigilli fines [perquam periculose] attingantur, et ita porro, quantum dedeceat noceatque, adeo in comperto est ut haec omnia innuisse sit satis.

f) Conterminos inter Parochos, quendam aetate ac experientia gravem, et prudentia sanctitateque insignem, non tantum in confessarium, sed et in admonitorem eligat Pastor, qui non solum placentia, sed et displicentia eius ex labiis libenter humiliterque suscipiet. Coeterum, fraternae emendationis officium sese inter [in quantum circumstantiae

sinunt] ad invicem exercere, sacerdotalis caritatis est. Persaepe, enim, quae de nobis omnes mussitant, nosmetipsi ignoramus!

g) Tandem, contermino aegrotante Parocho, caritatis officia erga eum exercent Pastor; morbi gravitatem ne ipsi abdat, ac, in tempore, ad reddendam Summo Pastori villicationis suae rationem, adparet. Interdum, enim, quae fidelibus, tam frequenter suademus, nobismetipsis [fallaci studio obcaecatis] dissimulamus.

196. — Universim, cum omni dioecesi clero, tum in verbo, tum in operibus perquam caritative et urbane agendum, ne laetetur iudaeus. Confratrum, igitur, opera ac personas carpenti pruritus sedulo devitetur; de cleri scandalis sermo nullus, de discordia quae forsitan eius inter agmina flagraret nulla mentio, de ecclesiasticis potiundis dignitatibus, versuta conversatio absit. Quae, praesertim, cum laicis, etsi piis, servanda, qui ecclesiastici coetus miserias [quas melius ignorarent] saepe cum scandalo, semper vero cum nostrae existimationis detrimento, nimis facile dignoscunt. — Cum vero, itineris causa, per pagum confratres transirent, quantum eos ad publica diversoria accedere [ubi devitanda plurima habentur] dedecet, nemo est qui non videat. Pastoralement, igitur, hospitalitatem erga fratres exercent Pastor bonus, cuius domus adeo ipsis pateat, ut nullibi alias asylum quaerant. *Necessitatibus sanctorum communicantes; hospitalitatem sectantes*¹, D. Paulus suadet.

§ II. — Qua ratione cum clero regulari Pastor se gerere possit.

SUMMAE RERUM. — 197. Quaedam magni momenti animadversio. — 198. In re practicae ac canonicae normae. — 199. Conclusio.

197. — Antequam practicas ad rem indigitemus normas, quaedam maximi momenti animadversio, praecedat oportet quae, nimirum, saecularis cleri cum regulari generalis condicio sit ex qua eorum relationibus veluti fundamentum sternitur. Benedicti XIV in re verba sunt: *In Domino hortamur ut, primum omnium, maxime cleri saecularis, in cuius subsidium clerus regularis vocatus est, curam alacriter suscipiatis*². Quibus ex verbis genuinam [iuxta canones] cleri regularis erga saecularem relationem aperte evincere est, ex quo sequitur, uti fratres, regularis cleri asseclas colere ac studere saeculares debere. Quod argumentum sis concordiam haud suaderet, quantum haec unani-

¹ *Ad Roman.*, XII, 13.

² *Epist. Ad Ruthen. Episcop.*, die XIV August. 1753.

mitas inter utrumque cleri agmen in animarum bonum cedat, Pastores attente considerent. Eodem, enim, dominico in agro [quamvis diversimode] eorum adlaborare est, et si eos inter discordia flagret, dum Ecclesiae inimicis malefaciendi occasio praebetur, tum saeculari, tum regulari clero grave affertur detrimentum. Uti, igitur, eiusdem sanctae familiae minores fratres regulares, cleri asseclae venerentur saeculares, quo tantum tum sibi, tum apostolico ministerio caritatis fructus [numquam satis laudandos] comparabunt. Eapropter junctis, ut decet, dextris simul atque animis, inter saecularem clerum et regularem pretiosa animorum consensio illa, qua nil Deo gratius, nil fidelibus potest esse utilius, vigeat. Profecto, cum omnes tum saeculares quam regulares clerici eidem militiae nomen dederint, eandemque causam, sub eodem Christo duce omnes agant, *omnium unus debet esse spiritus, cor unum et anima una*¹.

198. — Ad rem normas indigitare practicas heic quoque opportunum ducimus, quae huc redeunt:

a) Regularem clerum sincera existimatione saecularis prosequatur, quo tantum quae sunt observantiae ac honoris ipsi impenduntur. Quamvis [Divina gratia] qui saeculari in clero super regularem excellant frequenter habeantur, attamen et in hoc quoque qui magna doctrinae vitaeque sanctitate praestant haud, profecto, desunt. — Etsi vero, quibusdam in locis, reapse deessent, regularem clerum omnem ignorantiae nota inurere, neque iustitiae, neque caritatis praecepta sinerent. Omnibus, enim, humanis in Consociationibus sunt boni mixti malis, quod considerando [humilitate suggerente] caritas iustitiaque simul foventur.

b) Nullo modo nullaque ratione de clero regulari, nec privatim cum ecclesiasticis, et [multo minus] cum laicis, palam vel publice obloquatur Pastor, sed, immo, quae huius sint culpa, caritatis amiculo velandae, et sub silentio tegendae sunt.

c) In contentionibus quae, forsitan, inter cleri regularis agmina flagrant, nulli partium studio Pastor inserviat, et ut idem Coadjutores suos servent, sedulo curet. In re, enim, iustam sententiam ferre arduum plerumque est, et etsi facile, attamen semper in nocumentum [interdum gravissimum] vertere consuevit. Ut caritas triumphum agat preces Deo Pastor fundat, at [ut plurimum] nec pacis munus arbitri sibi assumat.

d) Si cum omnibus, praesertim cum Religiosis contentiones summopere devitabit Pastor, et si quae occasio exoriatur, in quantum paroeciae iura sinunt, si christianae plebis aedificatio ac

¹ I Joann. V. 8. — Cfr. Pius IX, *Ubi primum*, 16 jan. 1847.

pacis conservatio ipsi cordi est, pacifice eas componat. Cum vero hae contentiones ex regularium cum paroecialium iurium conflictu oriri consuescant, quae pro omnibus indiscriminatim religiosis hodierna in re jura ac debita sint Pastori recolere iuvabit, quae huc redeunt: ¹

a) Quoad cultum divinum in genere:

I) Possunt Regulares:

1. solemnes peragere cultus sacri functiones ad iura paroecialia non pertinentes, benedictiones [excepta illa fontis baptismalis et nuptialis], etiam rerum ad sacram suppellectilem spectantium, pro suis ecclesiis dumtaxat, item functiones Maioris Hebdomadae [excepta pulsatione campanae ² Sabbato sancto ³]; item erigere oratoria privata in suis conventibus ⁴ et, ex indulto Apostolico, Confraternitates, quae tamen semel erectae, visitationi et correctioni Episcopi subiacent;

2. missae celebrationem in suis ecclesiis et oratoriis prout sibi libuerit ordinare ⁵, cui assistentes fideles, omni tempore, praecepto audiendi missam satisfaciunt ⁶;

3. missas exsequiales et sepulturas in suis ecclesiis celebrare, necnon funera suorum, et eorum qui apud ipsos sepulturam elegerint, ad commune coemeterium ducere, absque tamen solemnibus pompis, et recto tramite ⁷;

4. suis in Ecclesiis ac oratoriis proprio Calendario uti.

II) Non possunt Regulares:

1. publicam habere expositionem SS. Sacramenti ⁸, nec sacras imagines aut reliquias non probatas exponere ⁹, nec novas indulgentias publicare, nec, generatim, effugere visitationem et correctionem Episcopi in iis omnibus quae ad exteriorem [pro saecularibus] cultus formam, et praesertim, ad SS. Missae sacrificium referuntur;

2. ducere processiones extra claustrum ¹⁰, nisi per octavam Corporis Christi ¹¹, [nec publicis saecularium processioibus non assistere si requirantur ¹²], nec recusare solutionem ab Episcopo datam de praecedentiis in processioibus ¹³;

3. independenter ab Episcopo, extraneos sacerdotes ad missae celebrationem in suis ecclesiismittere ¹⁴, nec recusare taxam pro stipendio missarum in dioecesi statutam ¹⁵;

¹ Cfr. Deshayes ac D. D. cit.

² Cfr. S. C. C. 15 nov. 1905; S. R. C. 3 april. 1821.

³ Leo X, *C. Dum intra*.

⁴ Cfr. S. C. E. 23 ian. 1899; Id. 5 iun. 1899; Vermeersch, *De Religiosis*, n. 511 et seq.

⁵ Benedict. XIV, *Quam grave*, 2 august. 1757, § 12.

⁶ Id. *Synod. dioec. XIV*, 10.

⁷ S. C. C. 24 ian. 1846.

⁸ S. C. C. 17 aug. 1630. — Cfr. S. R. C. 12 iun. 1658 *Ad Episcop. Urbanae*, decret. general. 3 april. 1821; S. C. EE. et RR. a. 1740, 41; Innocent. XI, *C. Cum inter*, 20 mai 1682; S. C. C. 17 aug. 1630; S. R. C. 31 mart. 1642, ecc.

⁹ Benedict. XIV, *Synod. Lib. V*, c. IX, n. 5; *Trid. XXV*; S. C. C. 65 iun. 1622, 7 iun. 1755.

¹⁰ S. C. C., 3 aug. 1688, 12 ian. 1726.

¹¹ Gregor. XIII, *Cum interdum*, 11 mart. 1753; Innocent. XII, *Sua Nobis*, 25 febr. 1696.

¹² C. Leonis X, *Dum intra*: *Trid. XXV*, 3; S. R. C., 28 sept. 1658.

¹³ *Trid. XXV*, 13.

¹⁴ C. *Apostolicum minister*. 30 mai 1753; *Quam grave*, 2 august. 1757, § 12; S. C. C. 2 iun. 1620; 29 ian. 1633.

¹⁵ Cfr. S. C. C. 15 ian. 1639, 16 ian. 1649, 16 iul. 1689.

4. alienis in Ecclesiis proprio Calendario uti ¹.

B) Quoad praedicationem:

a) In genere:

I) Nullum ex suis subditis praedicare permittant, multoque minus eundem presentent Ordinariis cum propriis testimonialibus litteris, nisi prius tam de sua bene morata conversatione, quam de suo recto modo in verbo Dei praedicando apprime certiores sint ². — Si quem vero Ordinarii commendatum sibi litteris oratorem exceperint, ac eum in concionando a normis praesentium Litterarum discedere subinde experti cognoverint, cito in obsequium adigant. Quod si non audierit, a suggestu prohibeant, iis etiam si opus fuerit adhibitis canonicis poenis quas res postulare videatur ³.

b) In specie:

I) Possunt Regulares:

1. independenter ab Episcopo et Parocho, in suis ecclesiis, quocumque momento et modo sibi bene viso, privatam praedicationem instituere ⁴, [dummodo ad rem leges serventur], necnon monialibus ad crates, ianuis clausis, concionem habere ⁵.

II) Non possunt regulares:

1. independenter ab Episcopo, publicas praedicationes, per sacerdotes saeculares, aut regulares alterius Ordinis, in suis Ecclesiis habere ⁶, nec per seipsos, nisi « petita » benedictione Episcopi ⁷; nec, in extraneis ecclesiis, absque Ordinariis licentia ⁸, et, si opus fuerit, examine praedicare ⁹;

2. commendaticias litteras absque nota concedere suis subditis qui alicubi a praedicatione fuerint prohibiti ¹⁰, qui, de coetere, nec ab Ordinariis invitari possunt ¹¹;

3. praedicationis ministerium committere iis qui antimodernisticum iuramentum ¹² [ad tramitem Motu Propr. *Sacrorum Antistitum*] coram eo a quo approbationem sacris concionibus habendis nuncupandum ¹³, et cuius fides subscripta in Ordinarii tabulario adservanda ¹⁴, haud praestaverint.

C) Quoad confessiones, ac Sacram Eucharistiam:

a) Possunt Regulares:

I) Abque ulla approbatione Episcopi, subditorum suorum ¹⁵ confessiones audire et, semel ¹⁶ approbati ab Episcopo, omnium fidelium confessiones suscipere ¹⁷. Regulares regularibus confiteantur ¹⁸, non tamen Superioribus, nisi pro peccato reservato;

II) Sacram Communionem, excepto Paschatis die ¹⁸, fidelibus in suis ec-

¹ S. R. C. 9 iul. 1895. — Cfr. Declar. 14 mart., 22 mai, 27 iun. 1896, 4 febr. 1898, et 15 dec. 1899; 12 nov. 1909.

² Instruct. S. C. EE. et RR. 30 jul. 1894.

³ Id. ibid. Cfr. Pius X, *Encycl. Pascendi* cit.; Id. Motu Propr. *Sacror. Antistitum*, cit.

⁴ Clemens X, *Superna*, 21 iun. 1670.

⁵ S. C. C., 8 mai 1751.

⁶ Clemens X, *Superna* cit.

⁷ *Trid. V*, 2.

⁸ Id. Ibid.

⁹ Clemens X, *loc. cit.*

¹⁰ Declar. S. C. *Consist.* die 25 sept. 1910, ad X.

¹¹ Id. Ibid. ad XI.

¹² Pius PP. X, Motu Propr. *Sacrorum Antistitum*, cit.

¹³ Declar. S. C. *Consist.* die 17 dec. 1910, ad II.

¹⁴ Id. Ibid. ad III.

¹⁵ Cfr. S. C. C. 14 august. 1568; Clemens X, *Superna*, 21 iul. 1670.

¹⁶ S. C. C., 7 febr. 1654; Pius V. *Romanus Pontifex* 1 oct. 1568.

¹⁷ Clem. X, *Superna*, 4.

¹⁸ Clemens VIII, *Regularis disciplina*, 12 mart. 1596.

¹⁹ Bened. XIV, *Synod. IX*, XVI, 3.

clesiis praebere; item, propriis subditis¹ intra septa, sacramentum Poenitentiae, S. Viaticum, et Extremam Uctionem ministrare².

b) Non possunt Regulares:

I) sine debita Parochi licentia, sacrum Viaticum aut Extremam Uctionem aegrotis saecularibus extra casum necessitatis, ministrare [sub excommunicationis poena simpliciter S. Sedi reservata³], nec publice Eucharistiam illis deferre;

II) saecularium confessiones [sub invaliditatis poena] audire, absque praevio examine et approbatione Episcopi⁴: quae non est ipsis de facili deneganda, aut limitanda ad beneplacitum⁵. In Urbe Communitatis Superiores alumnorum suorum convictorum confessiones excipere⁶; quod, de coetero, et reliquis omnibus extra ipsam morantibus prima prudentiae principia prohibent.

Cum vero ut contentiones nullae prorsus exoriantur fieri non possit, unc quoque Sodalitatem a personis, controversiam a contententibus, ita seiungere Pastor sciat, ut primam ac postremos diligere semper valeat. Si autem res male cesserit, quantum irritationem animi servare ac et fovere externis argumentis demonstrare dedecet, in comperto est.

e) In religiosorum Superiorum electione vel mutatione nullo modo sese immisceat Pastor, quod grave conscientiae periculum gignere consuevit. Pastorem hoc in negotio nullo modo sese immiscere regulares sacerdotes adeo sciant, ut omnino sibi persuasum habeant, quo tantum eius libertas ac bonum Sodalitatum nomen magis magisque sarta erunt. Interdum, insuper, qui per ecclesiasticarum dignitatum vel munerum canonicas ianuas, iam dilectae Sodalitati valedicere, vel aliquam saltem a vita communi independentiam assequi nituntur, habentur. Ambitio, enim, ac licentiae spiritus ubique invalescere potest, et, si multum haud accedat virtutis, miserrimam in ruinam ducit! Quapropter et hos sedulo devitet Pastor.

f) In utriusque sexus religiosarum domorum regimine, [etiamsi de non exemptis agatur], nullo modo nullaque ratione se ingerat Pastor. Immo et in eorum visitatione raro et semper perquam prudenter se habeat, quod praesertim de Virginibus Deo sacratis prae oculis habendum, ne tum canones, tum aedificatio fidelium ac ipsorum monasteriorum pax ac ordo, posthabeantur. Ad rem primi iubent:

Collocutio frequens, absque debita licentia, cum monialibus ad crates prohibetur clericis ac laicis; strictissima est haec prohibitio pro regularibus⁷.

¹ Trid. XXIV, 11.

² S. C. C. iun. 1587: 25 ian. 1738.

³ C. Apostolicae Sedis, I, 11, 14.

⁴ Trid. XXIII, 15; Clem. X, C. *Superna*, cit.

⁵ S. C. C. 8 nov. 1596; 15 august. 1597. — Cfr. Clem. X, C. *Superna* cit.

⁶ S. U. *Inquisit.*, decr. 5 iul. 1899.

⁷ C. *De vit. et honest. clericor.* X [III, 1], Sixt. V a. 1590; S. C. C. 4 maj 1869; Benedict. XIV, 31 oct. 1749, *Normae recent.* a. 175; S. Alphons. VII, 738; Gury-Ballerini, *Op. cit.* II, 804.

g) Si vero tum quoad Superiores ipsos, tum quoad eorum subditos aliquid emendandum dignoscat Pastor, utrum Praepositus localis, an Supremus, vel Ordinarius potius admonendi sint, rerum adiuncta dicent. Semper vero quae, de correctione agentes, monuimus alibi, heic quoque Pastor prae oculis habeat: persaepe, enim, innocentiae virtutisque scholam, versutissimus mundus conspuere contendit!

h) In religiosis quaestuantibus attente invigilet Pastor, nec quemquam ex eis eleemosynam sua in paroecia quaeritare permittat, quin suorum Praelatorum testimoniales litteras, saltem infra bimestre¹ datas, ac Ordinarii loci permissione et sigillo obfirmatas, exhibeat. — In eos quoque hospitalitatem, pro Christi amore, exercent Parochus; sed moniales, [prudenter] ad aliquam pagi familiam, omni suspicione maiorem, dimittat. — Si quid vero in eorum agendi ratione animadvertendum compererit, attentis circumstantiis, Episcopum statim moneat, qui, pro rei gravitate, agenda decernet. — Generatim in quaestuantibus ecclesiastico nomine abutentibus quam maxime Pastor invigilet, ne religioni sanctae usurpato habito, detrimentum inferendo, fidelium simplicitatem liberalitatemque quoquomodo decipiant.

i) In quantum [singula quaeso verba perpendantur] necessitas, vel evidens utilitas suadeat [Ordinarii accedente venia] regulares viros apostolico in ministerio Pastores cooptent, qui cum a perturbationibus saeculi fere separati, majorem, interdum, fiduciam a fidelibus obtinent. Attamen quos in re aptiores dignoscit Pastor sciscitetur, ne frequenter nimis eosdem ac eiusdem Ordinis homines eligat, ne coeteris mussitationum causam praebet. Tunc quoque, ne suam observantiam extra claustra religiosi negligant, nullum in re impedimentum afferat Pastor, immo eos adiuvet; nec nimis laboribus obruat, sed caritative prudenterque eos habeat. Eorum vero paupertatis bene conscius, in quantum consuetudo ac potestas licet, Apostoli illud meminerit: *Dignus est operarius mercede sua*².

l) In divinis officiis persolvendis adeo suis in paroeciis [dum licet] se gerant Pastores ut finitimae religiosorum ecclesiae ialousiam haud excitare possint. In omnibus, igitur, pietatis exercitationibus distribuendis, dummodo spiritualia fidelium emolumenta assequantur ac suorum iura sarta sint, nullam in Regulares invidiam foveant Parochi, et [servatis de iure servandis] dum christifidelium animae reapse juventur, utilitates

¹ Cfr. decret. S. C. Religiosor. 21 nov. 1908 pro religiosis viris; S. C. EE. et Regul. *Singulari quidem*, 27 mart. 1896 pro quaestuantibus sororibus.

² *Luc. X, 7: I Timoth. V, 18.* — Cfr. indic. alphabetic. *Concionatores.*

suas negligere discant. Animarum salus, enim, potiusquam popularis aurae gratiam vel crumena, spectanda semper. In sacris, igitur, confessionibus audiendis, in divini verbi dispensatione, in ecclesiarum frequentatione ac in aegrotorum adsistentia, ne ialousiae morsibus se corrodere sinant Pastores boni, qui et in facultatibus ad rem a religiosis sciscitatis haud difficulter se habere debent. Animarum saluti omnia semperque cedant!

m) In regularis cleri personas ac operam diiudicanda, potiusquam ex eius erga paroeciam ac Parochum studio ac beneficentia, in veritate fundamentum Pastores quaerant. Prima, enim, humana fere semper argumenta sunt, quibus coelestia emolumenta locum cedere haud debent.

199. — Generatim in religiosis diiudicandis si communia saeculi agendi criteria prae oculis Pastor teneret, pro certo falli persuasum habeat. Religiosi, enim, ut plurimum, in eorum institutione ac vita adeo peculiaribus principiis ac rationibus ducuntur, ut qui ea ignoret vel parvi faciat, simplicitatis ascetaeque opera, cum versutis ac prophanis artibus, omnino iniuste, confunderet. — Ab uno alterove religioso vel religiosa, universum Ordinem ac Sodalitatem ne iudicet Pastor bonus; ab una alterave eorum domo, de monasteriis omnibus sententiam ne ferat. — Semper vero Ordines religiosos omnes, uti Ecclesiae perquam utiles, ac ideo inimicis crucis Christi infensissimos, sincero prosequatur studio, ac numquam ita se gerat ut quasi adversus ipsos persecutoribus arma tradere videatur. Enimvero, dum religiosi homines persecutionum primitias sustinent, clero saeculari Calvarii viam sternunt; qui si de aliqua in re imprudentia sese incusare possit, fraternae prodictionis suae poenam miserrime luet! Quod utinam omnes intelligerent!

Articulus III.

DE BONI PASTORIS CUM ECCLESIASTICIS INFERIORIBUS, CONSANGUINEIS AC DOMESTICIS RELATIONIBUS.

§ I. — Quomodo cum suis Coadiutoribus ac cum paroeciae Clero se habere Pastor possit.

SUMMAE RERUM. — 200. Animadversiones praeviae. — 201. Quae in re canones iubeant. — 202. In Coadiutorum electione ac mutatione quae a Pastore servanda. — 203. Generali ac peculiari ratione quantum eorum opera Pastor uti possit. — 204. De quibusdam in eorum vigilantia ac regimine servandis. — 205. Quae Coadiutores erga Parochum officia sint. — 206. Cum pagi Clero quomodo se habere Pastor debeat.

200. — Antequam ad spirituale Pastoris regimen, pressius sumptum, cum laicis fidelibus exercendum deveniamus, quae cum ecclesia-

sticis subditis, quorum ex numero tum eius Coadiutores, tum pagi Clerici sunt, servare Pastor debeat, indigitare omnino pernecessarium ducimus.

201. — Quoad in pastoralis regimine Coadiutores, canones¹ haec iubent:

I. In omnibus parochialibus Ecclesiis in quibus, populi attenda numerositate, ad ecclesiasticis administrandis ministeriis ac ad divinum cultum peragendum, unus non sufficiat Rector, tot sacerdotes, quot ad rem necesse sint, Episcopus, etiam tamquam Apostolicae Sedi delegatus, adiungere debet².

II. Si quis vero tanta paupertate laboret, ut ad hoc redditibus careat, quae ad rem necessaria sunt illi subministrentur³.

III. Episcopi adprobatione haud accedente, stabilem sibi adiungere Vicarium Pastor nequit, neque ad hoc ad audiendas confessiones, vel ad divinum verbum administrandum Ordinarii adprobatio sufficit.

IV. Canonica coadiutorum in plebe potestas, ea tantum est quantum Episcopus ipsis delegare videbitur, qui ordinariis in adiunctis ad universalitatem causarum eos deputat. Si secus vero, tum proprias personales obligationes, tum Coadiutoris condiciones, ut aetas, experientia, fidelitas, populi condiciones et si quid Parochus aliud spectetur.

202. — Hisce praemissis, quoad Coadiutorum electionem ac opera, sequentia prae oculis habeantur:

a) In eorum electione, ne potiusquam adiumenta [caecae ac miserum in modum] sibi gregique dominico impedimenta Pastor comparet, plumbeo incedat pede oportet. Futuri, igitur, Coadiutoris aetas, ingenium, valetudo, mentis aequilibrium, docilitas ac, praesertim mores, et cuncta quae ad vitam communem ducendam necessaria ac utilia sedulo a Parocho exquirenda sunt; quae omnia si desiderentur vel nudentur, utrique misera vita, gregi vero dominico et scandalum pararetur. Quanta, enim, cum ingratis commoratio incommoda pariat, ac inter Pastores discordiam plebi sanctae Dei noceant, in comperto est.

b) In coadiutorum mutatione, cum persaepe incidat in Scyllam cupiens vitare Charybdim, numquam satis caute se habebit Pastor, cui haec inconstancia non tantum in paroecia [ubi innumeras mussitationes in populo suscitatur, ac eius administrationi damna infert], sed in tota diocesi perniciosissima dicitur enutrire consuevit. Ut, igitur, maiora assequatur, minora toleret..

203. — Quoad sacra exercenda ministeria quomodo cum Coadiutore se habere Pastor possit, proprias personales obligationes a sacris praestitutas canonibus in primis et ante omnia prae-

¹ Cfr. D. D. cit.

³ Cfr. S. C. C. in *Ferentin.* 8 febr.

² Cfr. cap. 3 et 4 *de clerico aegrotant.* 1744; in *Montisalti* 23 jul. 1877. X, [III, 6]; S. C. C. 24 jul. 1875.